
BEATIS=SIMI MARTY-RIS SANCTI BONIFA-CII, IN GERMANIA QVONDAM APO STOLI, VERA HISTORIA, OB PIETATIS

ſtudij amorẽ & honorandę Anti-quitatis memoriã cõſcripta carmine Heroico per

M. GEORGIVM VVICELIVM IVNIOREM.

HEBR. XI.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt promiſſiones in CHRISTO IESV Domino noſtro &c.



Coloniæ ex Officina Hæredum IOANNIS QVENTEL, menſe Ianuario anni poſt partum Virginis 1553.

FORTI DVLCOR INEST, EXVNDAT INERTIA LYMPHIS.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, EIDEMQVE OPTIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. Wolphãgo Electo ac Confirmato Antistiti Fuldensi, diuæ Augustæ archicancellario, Primati per Galliã &c. Domino suo multis modis obseruandissimo, S. P. D.



Vemadmodùm in senibus post lõga vitę temporis curricula, sensus hebescunt, præmoritur visus itemq; audit⁹, ac iam delirare prorsus incipiunt, vndè etiam illud Poetæ verbum: Om̃ia fert ætas, animum quoq;: sic manifestò appáret, Reuerendissime Antistes idemq; Princeps optime, huius Mundi præsentaneam senectam decrepitam delirare penitùs, atque in obliuionis tenebris errabundam miserè duci. Patet enim, &(heu dolorem) ipsa patet experientia, circa hunc Mundi finem, cùm iam æterni Sabbathi quies appropinquat, om̃ia indiès fieri deteriora peioraq;, vndè veracissimum est sancti illius Brunonis dictum:

Sic viuunt homines, tanquàm mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Et illud gentilis Plauti:

Nihil tam vile nunç est, quàm mores mali:

Eorum iam messem metere licet maxumam.
Quę quanq̃ quis fato meritò asscripserit, tamē cùm hic temporum status ex malis hominum moribus dependeat, meridiana luce clarius existit, ad hæc mala cumulāda patentissimam fenestram aperuisse ortos in Ecclesia huius lucis filios quasi Neochristianos, qui & ipsi simili quodam delirio Letheoq; fluuio immersi, extra limites illos, quos in Ecclesia Maiores nostri statuerunt, exorbitantes, noua populo, eademq; nostris parentibus (scilicet) incognita, imò monstrosa dogmata reserant: idq;, vt videtur, tribus fit ex causis: aut pro sui quisque ingenij opinione ac sensûs proprij abundantia: aut nouandi cupidine, quæ (vt Lucianus inquit) natura ingenijs hominum insita est: aut vero gloriādi studio, dum se pro Christianismi fide iustè pugnare, eamque quasi Augiæ stabulum repurgare prędicant, ipsam deformant potiùs, cultumq; DEI denormant atque minuunt: planeq; ita degenerant, ac si ex seipsis nati essent, vt verbis vtar Ciceronis. Sed quæ (malùm) ista est hominum supra Hypsæam cæcitas? quæve Dominici gregis ista dissipatio atque vexatio? Vnum cùm debeat esse Christi ouile, vnúq; ostium, sic alij hac, alij istac turbantur? & studia in contraria scinduntur? perq; præcipitia in voraginem impunè peccandi vnà deoluuntur? Heu infelicem Ecclesię mutationē, ac miserū Christianę Religionis statū. Quid verò indè ampliùs? Assidui' exitiosissimiq; bellorum intestini motus, defectio, aduersus Regem cōtumacia, factio, iustorumq; persequutio & oppressio, id quod nuper atq; annis præteritis, Tua etiā Reuerend. Celsitudo pro summa innocētia & integritate non sine notabili damno per maximam iniuriam perpessa est, vt itidèm atrocissimè factum à parte charissimi mei Parentis. Sed vos à charitate DEI Ecclesiæq; veritate quis separabit? an gladius?

us?an perſecutio?an nuditas,vt Apoſtolus inquit?Etſi aliæ grauiores ſunt cauſæ,quibus hanc longam miſeriarum ſeriem acceptam referre debeamus. nulli enim ferè caſus accidunt,ait Plato, quorum non legitimæ cauſæ præceſſerunt. Eſt autem ἀδράστεια diuinarũ legum ineuitabilis poteſtas,quæ peruerſis ob peccata toleranda venit,probis autem,qui iniuſtè paſſi ſunt, ad mercedem in cælis copioſiorem reportandam confert. Sed tamen hæc omnia in extremo Mundi æuo fieri oportere exiſtimo,vtpotè Antichriſti prenotiões. Quę cùm ipſe ſolus animo mecum perago,opto ſanè precorq́ue ex imo cordis, vt omnes huius ſeculi homines Chriſtiani in ſeſe deſcendant,æquo examine diſcutientes,quãta nos ꝑuaricatione,ignorantia,& errore ab ordine modoq; illo Chriſtianæ perfectionis,quæ nobis in ſcriptura pręcipitur,retrò lapſi defecerimus, quantaq; illuſione improbarum Syrenũ nauicula Petri in Charybdim proiecta,ac quantùm,ꝑ Deum immortalem, mutati ab illis Hectoribus nomine & corona felicibus (vt ait Auguſtinus) ſanctis DEI martyribus. Etenim non præceptione tantùm, ſed & imitatione virtus percipitur. Habemus autem Sanctos illos, quorũ imitemur vitam haud minùs,quàm ipſum CHRISTVM, quem tunc rectè imitari dicemur, cùm etiã per hos ſuos miniſtros tanquàm ſpecula quædam, fidem noſtram multotiès labaſcentem roborauerimus,hacq; per ſe ocioſa exiſtente,vitã quoquè CHRISTO placentem inſtituerimus,bonum operantes,dum licet,vt Galat.6. Equidem antiqui ritûs erat apud Gentiles, clarorum ac fortium Heroum ob virtutem decora extruere monimẽta,nimirùm quibus monerentur & poſteri ipſorum ad ſimilem induſtriam imitandam: ita nos etiam(ſi modò veri Chriſtiani futuri ſimus)exẽplaria imitandæ pietatis,zeli,fideiq; actuoſioris præclariſſima habemus,

Sãctos quippe DEI & eximios Heroas, qui per fidem vicerũt regna, (ſicut ethnici celebrant ſuos Camillos) operati ſunt iuſtitiã, adepti ſunt promiſſiones in CHRISTO IESV domino noſtro. Horum nos conſtantiam, fidem ac merita frequenter intueri, resq; ab ipſis geſtas libẽter dictitare fas eſt, ne quidem pilum latum ab his vitæ modo & conſtantia diſcrepãtes: DEVM aũt orabimus pro gratia, vt horum rectas ſemitas calcantes, audiamus olim illud benidictum VENITE &c. Nihil labaſcentes ad opinioſas Hęreſes, quæ ſibi videntur beatiores & ampliore priuilegio locupletatæ, quàm vt Fidei Chriſtianæ etiã opera Chriſtiana, id eſt, bona coniungere neceſſe ſit. Inſipidi ergo fuerunt Sancti olim, qui pterquàm quòd ipſi fidem ad miracula vſque efficacem habuerunt, etiam flagra, crucem, & tormenta paſſi, in ſumma caſtimonia, integritate & timore Domini vixerunt? At potiùs ſummè ingratos illuſores illos, qui Sanctos, quorum opera per gratiam diuinam fides Chriſtiana ad nos deriuata eſt, dedignantur, atque iniuſtos etiam, cùm non quidem neſciamus, omnem ipſorum gloriam CHRISTO, per hæc electorum corpora mortalia triũphanti vtiquè deberi: Saluatorem autem noſtrum per hęc teſtacea Sanctorũ vaſa ſępè contriuiſſe Satanam, atque errantium Maiorum noſtrorum mentes in viam Salutis reduxiſſe. Sed væ Mũdo, qui Babylonica cõſuetudine & ipſe pluris ſolet æſtimare, magisq; oblectari in Homeri, Sophoclis, Marõis, Naſonisq; exoticis Diuis ac deliramentis, quàm vt CHRISTI martyrum panegyricos ſeu martyrologia aſſerere aut ſaltem lectitare adducatur. Sed hîc minus ſpatij mihi reſtat, quàm vt dignè ac pro meritis ſuis illum arguere atque in ius vocare queam. Quod me & facere voluiſſe, & ab ipſius præſtigijs impiaq; labe q̃ longiſſimè abeſſe oſtenſurus, hanc diui BONIFACII, patriæ

triæ noſtræ prouinciæ Patroni Hiſtoriam mihi proponere, eamq́; carmine Heroico conſcribere auſus ſum, non minimùm commotus ad hoc vel ipſa huius Sancti diuina ac cœleſti nomenclatura. Videmus enim ethnicos, vt maximè, nomina ſibi vſurpâſſe à proprietate aliqua corporei habitûs, vt liquet in Platõe, Panſa, Naſone & Cicerone, Maiores quidem noſtros à raris virtutibus & glorioſis vitæ meritis nomina adeptos, vt Timotheus, Theophylactus, Bonifacius, Benignus, Modeſtus, Vigilantius. Atque vtinàm iam ſimus mutui Bonifacij, Modeſti, Benigni, imò plures reperias malifacios, Nepotes ac cupidines. Sed quantùm ad hoc negocium, non ignarus fui, quàm puſillo ſpiritu & ſine neruis, vt Horatius ait, eſſem cõpoſiturus, voluiq́; hîc rudis imbecillisq́; potiùs quàm elinguis penitùs eſſe. Sed tamen cùm alioquin neminem, qui idipſum præſtare vellet, cõſpicerẽ, necnon grati pijq́; animi ſit, quenque Patriæ ſuæ felicem patronum extollere, paláq́; voce teſtari, excuſabit, ſpero, tam pia mẽtis noſtræ deuotio, quam ego à pueritia ſemper vſq; ad hanc meæ adoleſcẽtiæ ætatẽ habui. Enimuerò ſicut profeſſioni Chriſtianę deuotio omnium Chriſtianorum, ita & mei exercitij ſtudijq́; fructus debetur. Sic eñ nos iubet ſcriptura: Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra. Quantùm verò ad materiam ſpectat, nihil equidem de Hiſtoriæ fide ambigendum eſt. Sunt nanque omnia ex libris bonæ & ſynceræ vetuſtatis deprompta, vt potiſſimùm verò, ex S. Vuilibaldo Epiſcopo Eichſtadieñ. Maximum autem à me & in communem cultum honeſtatis foret peccatum, Reuerendiſſ. Princeps Vuolfſphãge, ſi quenquam alium in toto Orbe pręter Tuam Reuerendiſſ. Celſitudinem, huic Bonifacianę Deſcriptioni patronum eligere præſumam, vt ne addam inſupèr,

quòd

quòd me consilium quoquè charissimi mei Parentis (vt ea in re decuit fidum Principis consiliariũ) eò incitârit, vt istas ingenij nostri Primitias, veram vitę huius SANCTI enarrationem Tuæ R. Celsitudini, vtpotè eiusdem Ecclesiæ Bonifacianæ seu Fuldensis Archimandritæ, maximo iure consecrarem. Quam, quæso, eo animo atq; vultu Tua R. Celsitudo suscipere gratiosè dignetur, quo solet vel à doctissimis ætateque prouectioribus profecta scripta. Felicissimè ergò atque diutissimè in CHRISTO IESV supremo nostro Saluatore nobis totiq; Ditioni Fuldensi superstes Tua R. Celsitudo valeat, valeatq; iterùm. Dat. Fuldæ Nonis Septembribus, M. D. LII.

Tuæ R. Celsitudini

deditissimus

M. Georgius Vuicelius iunior.

DESCRI-

DESCRIPTIO VITAE ACTORÚMQVE QVONDAM IN GERMANIA *nostra Apostoli sancti martyris Bonifacij Angli.*

EST, vbi vernali Sol vespe claudit Olympũ,
A zephyro, et vicina apparet Hybernia tell⁹,
Arctoũq́; inde à tergo secat Orchadas ęq̊r,
Insula, quæ priscis dicta est velut angulus orbis:
Fortibus illa viris serie & notissima Regum,
Frugifero ditata solo, citraq́; Tuesum
Aurumq́; argentumq́; ferẽs, nigrumq́; bitumen:
Quam populi insignes, cumulataq́; gloria rerum — Anglia regnum.
Marte domiq́; olim fecit prænobile regnum.
Hanc adeò cupiam si digno extollere versu,
His equidem missis, hoc saltem nomine primo
Laudibus immensis poterat sat digna videri,
Quòd nondum decora illius inter plurima cerno
Vllum maius opus, quàm ꝙ patria extitit huius,
Quo primũ assueuit Christo Germania quondã,
Ac cæca impietas sine maiestate relicta est, — Anno Domini 733.
Quo sumpsit magnũ incremẽtum Ecclesia nato.
Huius res gestas iam primo à lumine vitæ
Vsque Deo sacræ suprema ad funera mortis,
Non ego inornatas, animo hoc vrgente, silebo.
Tu modò summe pat̃ nostris, precor, annue votis,
Auxilio cuius miracula tanta peregit
Quem refero. Quid nanq́; tuo sine numine fiat?

Illa adeò, cui nunc propriũ manet, Anglia, nomẽ,
Ecce bono auſpicio & cælo venientibus annis,
Anglia ſub Etelberto primo fidẽ Chriſtianã recipit an. 711.
Noſſe cupit quæ ſit cultûs melioris origo,
Gregorio Magno authore, hoc qui tẽpore Præſul
Lucis iter populis diuino dogmate monſtrat,
Tunc cum Clotarium iactaret Francia regem,
Imperium & ſtaret Romanum à principe magno
Mauritio, latè regnante vbi Solis ad ortum
E matutino iuga ſubdita rore madeſcunt.
Poſtquã autem fuit improbitas patefacta ſatanũ,
Hæc Chriſtum induitur, Ditisq; Iouisq; peroſa
Sacrilegos cultus, ritum vanum atq; nefandum,
Spiritus ætherea veniens quia ſanctus ab arce
Clarificat, gentemq; ſuperno numine adimplens,
Verba patris ſummi mandataq; ſenſibus infert.
Vt verò totam hanc gentem ſe adiũgere CHRISTO
Promouit ſancti cæleſtis gratia Flatûs,
Eluxere viri multa pietate verendi,
Cælitus aſciti, ſacroq; à numine pleni
Dogmata tradendo, diuinaq; ſigna operando,
Ritè docent Chriſtum, cæleſtia regna propagant,
Atq; animas ipſi pro lucro apponere curant.
Hos inter numerum meruit palmamq; tenere
Hic natale ſolum, cælo gratiſſimus hoſpes,
S. Bonifaci⁹ olim vocat⁹ Vuinfridus.
Quem priſco legimus Winfridum nomine dictũ,
Nunc verò oſtendũt verè inclyta nõia SANCTVM,

Quod

Q, tam multa etenim merita atq; bona egerit, ipsi
Sæpè quidē faciendo bonū, nunc nomen adhæsit,
Cui pater æternus dedit hæc primordia vitæ,
Quem velut à primo sibi iam prædestinat ortu.
Cum iam vernaret puero iuuenilior ætas,
Ingenium & viuax ipsis coalesceret annis,
Cura omnis seu vita fuit directa supernas
Ad leges, sequiturq; Deum, gaudetq; tenaci
Semina cælestis doctrinæ infigere menti,
Solum illum discens, solum quem discere fas est.
Mox se intus maiore ostendit Gratia motu,
Postq; animum penitus transferre ad sacra, piūq;
Relligionis opus cœpit, mundanaq; spreuit,
Nec meminit curatve, licet permagna Parentes
Suspensos super his sæpe admiratio ducat:
Qui mox sic taciti pia numina poscere credunt,
Ausi sunt puerum ferre ad loca sola docendum (cœnobia olim scholę literarum,)
Artes, quas doceat rector Wolffhardus & abbas.
Tātus amor, tantum & precium fuit, ardua q̄ndā
Scripturarum elementa locis addiscere sacris.
Cum verò hîc tantum studijs promouit, vt oīnis
Pagina Scripturæ, sanctûmq; volumina Patrum
Intellecta satìs, mandataq; sensibus essent,
Continuò maior tanto quærenda videtur
Cultura ingenio: grauiora industria poscit.
Est aliud sacrum, Winberto præside, claustrum:

Fortẽ vocant Angli Nuticellam nomine auito.
Huc quoq; tantus amor discẽdi compulit ipsum,
Hic demum certans totas intendere vires
SANCTVS, & assiduo studij impallescere amore,
Ecce operam sequitur fructus, iam multa scientis
Vberior longe sapientia creuit in horas.
Multi illum ceu pædonomum tenuere colendum,
Virtutesq; viri cuncti mirantur amantq;.
Ipsa adeò è summo descendens gratia cælo,
Hoc vase electo mansura habitacula fecit.
Ter denos igitur postquã numerauerat annos,
Ordine formatus sacro venerabilis heros
Efficitur, subit inculpatæ munia vitæ,
Fit clarus, cunctûmq; meret volitare per ora,
Vt quando in tenebris lumen si accedat obortum,
Irradiat splendore locum, maiusq; videtur.
Hinc vos ò Mystæ vel serò discite, vestra
Sic coram populis opera illucere, paresq;
Estote & studio & vitæ ratione modoq;.
Vt porrò ipse suum cernens Winbertus alumnũ,
Sic magis atq; magis pollentem numine sancto
Nil prohibet, Virtus illum sua quò vocet vltrò,
Permutare locum, diuinaq; dogmata Christi
Ferre per ignotas gentes, per barbara regna
Doctorum Christi vulgato more viaq;.
Nec mora, mox patrijs iam soluitur ancora terris,
Com-

Committens pelago puppim, dans carbaſa vẽtis,
Teutoniam verſus properat, linquitq́ Britannos.
Vt primum tranſit Gallos, Belgasq́ feroces,
Dordracum, Friſiamq́ venit, Rhenũq́ bicornẽ,
Exercens etiam hîc ſtudium pietatis, amoremq́
Erga omnes, ſecumq́ trahit per paſcua Chriſti,
Omnẽ exinde plagam, ſatagens adiũgere Chriſto.
Quanuis hîc ſtreperũ murmur fieretq́ tumultus
Inter Radpodum Friſium, & quem Gallia regem
Tunc tenuit, ſtimulant iuſtis à partibus iras,
Penè vt luctificum faceret diſcordia bellum:
Dum Friſius populis Chriſti miſerè vndiq́ pulſis
Veſanus vaſtans ſacras cultoribus ædes,
Suſtulit è templis Diuorum innoxia ſigna,
Ad ſatanæ horrendum declinãs turpis honorem,
Gentili faciens ſua regna putreſcere cultu:
Huius ſed nihilominus atrocẽ confringere mentẽ
Radpodi Ducis & medium tentare furorem
Auſus erat SANCTVS, quo cæcum illuminet iſtum,
Vſq́ preces fundens, & blandius ora reſoluens,
Obſequium ſperans, ſed deſperare relictum eſt.
Quis ſæuas tigres animaliaq́ aſpera tactu,
Tam facile ad cicures adducat mitia habenas?
Si non ore fidem Chriſti ſat tradidit, illam
Morte pia SANCTO teſtandi offerrier horam
Noluit ecce Deus, quoniam cognouerat ipſum

Diſſidiũ ob religionem Chriſtianã inter regem Galliæ & ducem Friſiæ.

Poſſe & oues alias ad idem compellere ouile.
Non ergo in ſterilem placuit pia ſemina terram
Spargere,ne incaſſum fierent præconia Diuûm.
Deſerit hanc oram,ſed iuſta in tempora differt.
At iam Pontifici cupiens quoq; notior eſſe,
Vnde ſuo officio contingat plena facultas.
Nec mora propoſiti eſt,Sanctā proficiſcitur vrbē
Auſoniam, properans Diuis pia ſoluere vota.
Hic tunc Gregorium Petri tenet aula ſecundum,
Hic vt inaudiuit SANCTVM diuina loquentem,
Sedibus autumnans illum cæleſtibus ortum,
Diuinis operis & cenſet honoribus aptum,
Digna ſalutiferi iniungens mox munia Verbi,
Dat libertatem,vaſtæ Germanidos oram
Hac fandi virtute ſua coniungere CHRISTO.
Tum planè tanti pendens dum publica defert
(Priſcorum eſt pro teſte fides)mandata,ſuumq;
Pontificis ſaluum teſtantia ſcripta fauorem,
Digne collaudans,ipſum quot gratia Sancti
Flaminis & donis præſenti & numine ditet,
Tum verò,quoniam paſſim Germania tellus
Impia adhuc ſatanæ culturam amplexa foueret,
Hic doceat legem Domini gemino inſtrumento,
Primus & ereptam tenebris conuertat Olympo.
Ille pater patriæ quondam digniſſimus aris
Teutonis ora tuis,cui nec te aliquando referre

Vide de his Decre. cauſ. xj.qu.3.cap. Anteceſſor, &, Quod præceſſor.

Acce

Acceptum pigeat Diuini Dogmatis vsum.
Hic ni præ reliquis sancto te arsisset amore,
Vt tete errantem sæuo mox exuat Orco,
Indiga nempe diu mansisses Numinis alti.
Vnde tuum est, si te pietas, si tangat honestum,
Authori SANCTO meritos impendere honores,
Quē DEVS hoc ipso nō dedignatus honore est.
His verò monitis Romano à præsule motus,
Obsequium gratesq; tulit, Romamq; relinquens,
Accelerat prompto susceptum pectore munus
Perficere, ingrediturq; viam: vestigia figens,
Ad prerupta Alpina venit iuga: deinde pererrās
Ignotis Baioariûm confinia terris, Bauariā euāgelizat S. Bonifaci⁹
Inde vbi conspicitur crebris Thuringia syluis,
Hîc se aperit Domini seges atq; vberrima messis,
Quæ iam luxurians poscit matura colonum.
Hîc cæli regnum, nomenq; potentis IESV
Intulit, atq; Euangelij increbescere luce
Procurans, ipsos populos, heroas, & ipsos
Primores vano à cultu diuellere tentat.
Intereà verò SANCTI peruenit ad aures
Radpodi cæci fatum, & nitentis ad Orcum,
Rursus ad immitem Frisiam deflectere anhelat,
Præcipuè hanc curans, certi tanquàm ominis esset
Conscius, hac ora pro CHRISTO occumbere mortē.
Hîc, quæ distulerat, Verbi præconia rursum

Atq; fidem ſanctam terras diuulgat in omnes.
Mox operis ſocium ſortitus Wiliebrordum,
Relligione parem, patrio & ſibi climate iunctum,
Omnimoda virtute virum, ſanctumq; bonumq;.
Multa exinde dies, & verbo viuida virtus
Rettulit in melius, fructusq; eſt nempe ſequutus.
Vt noua tēpla ſtruunt Diuis, ac thure vaporant,
Gratia cæleſtis pulſis micat orta tenebris.
Dira autem peſtis ſubitò præconibus iſtis
Pulſa fugit, fractisq; ruunt crepitantia ab aris
Portentoſa deûm fanis idola diremptis.
Hanc palmam referens, prędāq; ex hoſte reportās
SANCTVS Germanæ regionis Apoſtolus, inde
Feſtinat rurſum proficiſci, hac ſede relicta,
Cis Rhenum celſos oſtendit vbi Haſſia montes,
Aruaq; Saxoniæ celeberrimus irrigat Albis,
Cauſa Euangelij libertatisq; docendæ,
Nil piget, in grauibus ſemper perſiſtere cœptis,
Nec iam ſæpe vias longas iterare moleſtum eſt.
Tantus ineſt ardor CHRISTI, pietasq; fidesq;,
Obfirmato animo ſanctos tolerare labores.
Sic verò multis populi iam millibus huius
Cōuerſis CHRISTO, cultuq; ſequentibus, ipſam
Auſoniam SANCTVS per ſcripta citatus ad Vrbem,
Aduolat, apparens coram Rectore beato.
Is mox pacificam venienti obtendere dextram,

Suſpi-

Suſpicere,& ſecum dictis expoſcere amicis
Cœperat,& CHRISTO gratatus in hoſpite tanto,
Multa ſuper cultu rogitare,ſuper grege multa,
Germani quibus auſpicijs,ritúve,modóve
Inſtructi,doceat,quo cedant omnia voto,
Dirá ne ſubmôrit penitus contagia gentis.
His mox quæſitis SANCTVS reſponſa ferebat,
Vndè equidē laude & magno cumulat⁹ honore,
Exhinc præmonitus,quàm ſint ſibi Numina curę,
Tam nunquàm velit à tantis deſiſtere cœptis,
Atq; adeò (ſiquidem ſæpe eſt labor arduus hęres
Virtutis,virtute omnemq́; meremur honorem)
Nomina ne deeſſent,ſacratur Epiſcopus ipſe.
Pro magnaq́; opera meruit ſimul inde fauorem
Gallorum regis Caroli,quem noſco fuiſſe
Magni illius auum,Martelli nomine dictum.
Nec ſatis eſt,etiam notis data litera venit
Principibus Thuringiacis dominantibus oris,
Alboldo eximio,Guntro, Godolao & Adolpho,
Talia nempe ferens minimè ſine pondere verba:
Accipite hūc proceres, prōptasq; aduertite mētes, Epiſtola Gregorij ſecūdi ad Germanos.
Quoſcunq; hic ſancti trahit ad myſteria Verbi,
Atq; animis quorum virtus illuxit ab alto,
Huic date(quæſo)locū,veſtris procul exigat oris
Inſidiatorem,vos cæco errore trahentem.
Hæc vbi ſcripta,ſtatim remeat,Romaq; relicta,

Alpinos ſuperat montes,Germanaq́; venit
Climata,ad Eoum flectens Haſſosq́; reuiſit
Heu iam deceptos iterum,rurſumq́; labantes,
Tartareæ im merſi quoniam caligine noctis,
Iam priſca impietate colunt ſimulacra nefanda,
Dũ magnæ,horrendũq́; ſonantis robora quercus
Numina falſa Iouis curuato poplite adorant.
SANCTVS vt iſta videt miſeræ deliria gentis,
Ingemit,& diris talem vouet arboris vſum,
Excindiq́; iubens,vitæ diſcrimina ſenſit.
Vt quoque Thuringos luſtrat,miſeratur & iſtos
Tam paruo intereã ſpatio ad ſua damna relapſos:
Indoluit,motusq́; rei nouitate,retentat
Inuigilans animo demũ duce & auſpice CHRISTO
Hos omnes facere æternam cognoſcere vitam.
Sic ergo,quanuis immenſa mole laborum
Nititur vſque tamen paganum auertere cultum:
Vipereum ecce nefas procul,erroresq́; maligni
Ceſſerunt,reuocat multos,redditq́; beatos,
Iamq́; Patrem credũt parili & cũ Flamine Natũ,
Iungit & vna fides cunctos,eſt vnica cunctis
Ianua,vita vna,& CHRISTVS ſpes vna ſalusq́;.
Profuit ecce labor fœcundaq́; gratia SANCTI
Reddiderat multos ſuſpenſos numine Diuûm,
Atq; adeò iam dehinc ſua tetra idola peroſis,
A primo ſacras fundamento excitat ædes,

Arbores colũt Haſſi. vocabãt verò Irmenſul/ Martſul/ &c.

Tunc

Tunc & Frislariæ delubra antiqua beati
Victurum in Petri semper firmauit honorem,
Ordorffi statuens primis quoq; mœnibus vrbem.
At numerosa cohors cupiens se dedere CHRISTO,
Ac fontis sacri puris intingier vndis,
Hac illac ruit & sacrorum auidissima fertur.
Stat iam læta seges, fœcundaq; vinea CHRISTI,
Multorumq; exposcit opus, nec sufficit vnus.
At pius Ergastes Domini, verusq; colonus
Cernens curarumq; operumq; increscere molem,
Consilio inuento & se spe solatur ab illa,
Ex Anglis accire plagis, orísve Britannis
Symmystas virtute pares doctosq; piosq;,
Fœmellasq; itidẽ sanctas, CHRISTOq; fideles,
Hos vnà cupiens secum partire laborem.
Littore ab Hesperio, sed q̃d propè cõspicit arcton,
Adueniunt celeres Burchardus, Lullus, & ipsi
Materno venit Kunihildis sanguine iuncta,
Nataq; Bertgitis, Waltpurgis, Tecla, Lieba,
Destinat hos sacris, varias & dìdit in oras,
Vndiq; qui doceãt populum gentemq; renatam.
His ergo curis SANCTVS dum seruidus instat,
Instaurans verbo, inq; viam portumq; salutis
Palantes hincinde greges sermone reducens,
Haud adeò longum post tempus Epistola venit
Gregorio à Papa, sed successore Secundi,

Ex Anglia vocãt Christiani confessores.

S. Vualpurgis soror S. Vuilibaldi.

Gregorius Tertius.

Adplaudens operi tanto, verùm ſua nondum
Digna quidē SANCTVM ſacra Pōtificalia habentē,
Condecorat raro ſpecialis munere pallî.
Sed vir cœleſtis pro tanti muneris vſu
Aduigilat, magis ac magè deſeruire paratus,
Errantes animas illuſtrans dogmate CHRISTI,
Nunc verbo ædificans, nunc ligno limina ſacra.
Hinc Baioariam rurſus Francosq; reformat,
Tollens paganos ritus, moremq; nefandum:
Hos & ab hæreſibus conatu vindicat omni.
Iam poſtq; populi præmagnam Eccleſia turbam
In numerum accepit, ſolennia fana parauit
Quatuor, hîc rapidis vbi fertur Boius vndis
Danubius, ſtatuitq; Patres pietate verendos.
Accipit Ermbertum Friſinga, piumq; Ioannem
Salsburgum, Patauim tenuit ſed Viuilus vrbem,
Atq; Ratiſponæ Gaibaldus præſidet altæ.
Hac ſerie longa, quos præſtitit vſq; laborum
Promulgat CHRISTVM, nec in vna ſede quieſcit.
Tempus erat, regni Francorum vt poſceret ordo
Inſigni Carolomannum de ſtemmate regem,
Martello de patre ſatum, cum fratre Pipino,
Quo genitore ferunt natum te Carole Magne:
Progenies heroa, potens, pia, magnanimisq;,
Immenſę Patrem quæ maieſtatis honorat,
Tum verum Natum, ſimul & Spirabile numen,

S. Bonifaci⁹ in ſuperiori germāia inſtaurat epiſcopatus.

Iu-

Iudicium extremum credens,rediuiuaq́ꝫ carnis
Corpora adoptari manſura in gaudia vitæ.
Hos adit,hos precibꝰ Germaniæ apoſtolus vrget,
Vt ſynodum cogant,accitis vndiqꝫ Myſtis, Reges Galliæ reformant fidem Chr̄ianā in Germania.
Conſtringant normæ cenſura ac legibus illos,
Qui vel deſidiam luxúmve ſequantur inertem.
Indè Moguntina detruſus ſede Gebilbus,
Deſijt infamis mitræ modò Epiſcopus eſſe,
Vt nemo occiſor,mœchúsve, ocíve benignus
Culmine Apoſtolico poſt hàc præfulgeat vnquā:
Diuinis pollens virtutibus ecce DEI vir
Dum ſponſam CHRISTI veris zeli ignibus ardet,
Nanciſci meritos iampridem dignus honores,
Præſulis ad ſedem mox ſublimatur eandem,
Vnde Moguntina eſt Eccleſia tempore ab illo
Metropolis: mereat quoqꝫ nunc ſic digna vocari.
Aſt ita terdeno Sol curſu abſoluerat orbem,
SANCTVS vt his terris ſe bis tria luſtra recordans
Germanæ genti certam reparáſſe ſalutem,
At iam Gregoriûm vitas vixiſſe duorum,
Vſqꝫ ad Zachariam Papam è regione Pelaſga,
Huius opem quærens mero pietatis amore,
Literulis miſſis quorundam crimina defert,
Commemorans,natæ quædam mala relligionis
Creſcere per damnum,fœdos reuiuiſcere mores,
Vtq́ꝫ ea reſtinguat,ſolita ac virtute retundat,

Eſſe adeò immenſum, vires quod ferre recuſent,
Se petere auxiliumq; & opem Regumq; Ducũq;,
Qui plectant ſcelera impoſitæ formidine pœnæ.
Parua fuit medij mora temporis, accipit inde
Reſponſum, & conturbatæ ſolatia mentis,
Dum Carolomannum ſolito plus ſenſit amicum
Subſidia in cauſis fidei nunc iuſta ferentem.
Nam ſteterant quondam Gallorũ à regibus, hui⁹
Teutoniæ populi vires, tutela, Salusq;.
Sic igitur rurſus regnũ peramabile CHRISTI
Lætius en floret, melius ſucceſſit & omen,
Exactisq; dolis ſatanæ, ſecla aurea ſurgunt.
Vt videt extinctũ ſeſe, & ſua numina ſatthan
Nudari, totoq; locum ſibi deficere orbe,
Ringitur, & dubitat, ſuperari an vincere malit.
Diſſilijt fractus, ſed enim deterrima ſparſit
Fragmina, vti reſtent veteris veſtigia fraudis,
Quæ portentifico temerarẽt ſchiſmate CHRISTVM,
Progenerans quoſdã Stygio è fœtore ſcatentes
Heretici oriunt in Germania. Inſipidum Albertum, Clementem, & finibus ijſdẽ
Samſonem Scotos, ſynceri dogmatis hoſtes,
Audentes ſanæ doctrinæ oppedere SANCTI,
Latrantes nil eſſe, ſacro ſi fonte renati
Signentur ſancta cruce, deteſtentur & hoſtem:
Sufficere, impoſitam dextram ſemel eſſe lauantis,
Nil conferre etiam ſacri Baptiſmatis vndas.

Id gen⁹ hæreſeon multa,& noua dogmata multa
Germanos inter populos diſſeminat Orcus.
Vt propiùs certè inſpectis erroribus horum
Colligitur,dicas prænuncia dira fuiſſe
Nunc malè graſſantis Germano in climate Sectę.
Venerat hora DEI pro zelo actoq; labore
Opprobria,ærumnas,ſæuæ & conuicia linguæ
Iugiter hunc SANCTVM conſtanti pectore ferre.
Currenti hoc ſtadio lex eſt certaminis,iјſdem
Affligi,prauæq; pati faſtidia gentis.
Nonne autē pariter CHRISTI perſępe miniſtros
Eſſe ignominias,liquet, & ludibria paſſos?
Paulus Ananniam ſenſit, Petrusq; Simonem
Detrectatorē blaſphemum Ereboq; profectum.
At non impatiens SANCTVS,iam iure vocandus
Nomine Apoſtolico,fuerat nec neſcius horę,
Ferre iugū Domini,atq; his ſe velut igne probari,
Lentus ad hæc vltor,pacis cui cura tuendæ,
Ac mens fortis erat,durisq; inuicta ferendis.
Nec res vlla viri tantùm præcordia vexat,
Quàm noua,q̄ ſcriptis contraria & abſona ſacris,
Aut Euangelij aut Patrum pugnantia ſenſis,
Quæq; Fidē circunueniūt incommoda noſtram.
Ergo animo curas agitans ſecum ipſe reuoluit,
Neû malus hinc error, neû noxia multa ſequant̃,
Damnatis horum cœptis obſtare laborat.

Perſecutio S.Bonifacij.

Zelus S.Bonifacij.

Hi

Hi verò SANCTVM culpantem crimina vitæ,
Intendunt temere infeſtare & lædere dictis,
Atque etiam coram Papa traducere falſò.
At tandem vicit verum, vt quandoque laboret:
Ceu quando oppoſitas rutiliſſima Solis imago
Excuſſit nubes, nullaq; obſtante relucet.
Sic qui gliſcebant illum proſcindere dictis,
Polluere atque nouis inuentis dogmata ſancta
Incuſſère ipſis ſua friuola dicta pudorem.
Iam quoq; Pontificem nil ſolicitare veretur,
Sæpius effuſis precibus, queriturq; rogatq;,
Ne priùs ipſe ſinat ſecurum obrepere ſomnum,
Quàm vigili hæc ſtudio tetræ contagia peſtis
Principio obnitens, incauto auertat ouili.
Mox iterùm aſcitis Patribus, Synodoq; coacta,
Edicit populo ac Clero, mandatq; iubetq;,
Vt veteris vitent virus ſerpentis, & ora
Plenaq; perfidiæ diroq; infecta veneno,
Abſtineant vitia, & ſapiant cæleſtia regna,
Concilia inſtaurent, delenda ad noxia Ditis
Semina, & eliſæ creſcentis fortiùs Hydræ.
Sic ergo aduigilãs SANCTVS, ſic ardua tentans,
Quid non ſe dignum ſtudio feruente peregit?
Quot pclara opera? aut geſtorũ quãtus aceruus?
Quãtum curarum? meritorumq;, aſpice, quantũ?
Dum ſtudet enixè, mẽtisq; huc pondera vergunt,
Huc

Huc omnẽ vitam impendens, hęc prima voluptas,
Cælitùs accepto perfungi munere ad Aram,
Aeterno & regi commissa referre talenta.
Sed nec sydereûm finem facit antè laborum,
Quâm Saluatoris nostri per secula Regis
Iustitia, vt splendor, toto egrediatur in orbe,
Quamq; Sion superans, alto se vertice tollat,
Donec felicem se authore Alemania iactet,
Dicatq;, Hic in me CHRISTI iritauit amorem,
Numinis hic sancti primum instaurauit honorẽ:
Quod neû sit dubium, néve inuidiosa vetustas
Letheis defraudet aquis, monumenta reliquit
De se perpetuum sic testatura per æuum:
Est regio celebris iam nunc ab origine SANCTI, Topographia Ditionis Fuldeñ.
Sublimi nobis Hassos prospectat ab arcto:
At qua parte diem Titan attollit amœnum,
Thuringi ancipites, Romanisq; inuida signis
Saxonia apparet, multorum exercita Marte:
Ad cæli medios ignes seu floret ad Austrum
Vitifero monte & pagis Franconia opimis:
Hesperiam versus miscet se Mœnus in vndis
Spumantis Rheni, fluctusq; & nomina linquit.
Hîc inter crebra vndarum peramœna fluenta,
Cum strepitu saxosa inter loca Fulda susurrat:
Quam syluæ & mõtes in gyrũ hincinde recingũt.
Hunc media ipse locum Germana elegit in ora,

D Qui

Qui foueat vitæ exactæ post tempora corpus.
Mox etenim sacrum fluuij hîc in littore Fuldæ
Cœnobium in mansurum SALVATORIS honorem
Condidit, augustis donis & honoribus auctum
Zacharia à Papa, & Gallorum rege Pipino,
Tum Carolomanni firmatum robore legum.
His autem diuus perhibetur Sturmius olim
Promeruisse sacris primus succedere tectis,
Colligere & numerum, Diuosq; & sacra colentū.
Hic laudes canere, & CHRISTO dare thuris honorē,
Atq; aptare preces, sanctaq; assuescere norma,
Assiduisq; operis, moderato ac viuere victu
Instituit, planè & diuino degere more.
Rectè si media virtus in parte locata est,
Hæc regio illustris, ceu centrum, clauditur inter
Germanas media ecce plagas, doctore sed ipso
Cernis vbi manâsse Fidem per dogmata Verbi.
Illius hinc maiore loci iam captus amore,
Consilium exercet secum, spemq; inchoat istam,
Ne sit cœnobium tantùm, sed terra notata
Limitibus certis, capiat quoq; iugera multa
Libera ab hinc Ditio proprijs signata colonis.
Promouet ergo isthoc, precib. q; extorquet amicis
A Carolomanno tunc has dominante per oras,
Tunc qui Thuringos Sorabos, qui Saxoniamq;
Gallorum in regnum felici Marte subegit,
Contulit huc etiam largissima dona Pipinus,

S. Bonifaci⁹ assignauit limites Fulden̄ regiōis.

Zachariasq́ꝫ,aliſq́ꝫ, ſimul teſtantia ſigna:
Quorum ſemideûm Regum veneranda poteſtas,
Ob regnum CHRISTI, verum & pietatis amorem,
Buchoniæ hanc terram felici ſorte beauit.
Horum animas certũ eſt,ſublimi viuere Olympo,
Et capere æterni ſperatam luminis auram.
Hinc tandẽ euaſit celeber locus, hinc quoq́ꝫ tandẽ
Principio ex paruo magnæ vrbis mœnia ſurgunt,
Fulda cui nomen fecerunt flumina Fuldæ,
Clara patris patriæ tumulo nunc floret in æuum,
Floret,& aërias caput exerit alta ſub auras:
Quam videas verè largis virtutibus auctam,
Aëris atq́ꝫ loci, frugum pecudumq́ꝫ beatam,
Cuius non raras in idonea tempora laudes
Differre inuitus cogor,nec copia fandi.
Hinc ea metropolis,præſtansq́ꝫ Eccleſia nata eſt
Latiuago cui tractu omnis Fagonia ſeruit,
Municipesq́ꝫ ſuo dicunt ſub principe Iura,
Cui nunc heroa & diues virtute ſuperna
Progenie antiqua Wolphangus præſidet Abbas,
Cui motus generoſi animum moderanť, & ornat
Rerum nobilium præclara ſcientia mentem:
Tempora honoratæ tribuat cui longa ſenectæ
Immenſus pater immenſi regnator Olympi.
Sic verò SANCTVS permagnum nomen ab orbe
Ac laudes tulit eximias,meritisq́ꝫ decoras,
Iamq́ꝫ fauent animis ſummi Regesq́ꝫ Ducesq́ꝫ.

Reuerẽdiſſ. D.& Princeps D. Vuolphãg⁹ ab Vſſicken,Fulden Eccleſię Antiſtes.

Afferitur toto amplexu: venerantur, amantq;
Infignem pietate virum, nulliq; fecundum,
Cuius ab immenfo myfteria facra labore,
Tam Fidei quàm Euangelij Verbiq; potentis
Tradita funt olim, primumq; exercita terris
Gens Germana tuis, qui nubila pectora folers
Purgauit tua, fcripturas tulit ecce fub auras,
Atq; feros animos diuina contudit arte:
Vndè facramentum fontis faluanda fubîfti,
Sancta Prophetarum ferie mandata capeffens.
O vas facratum, nectar prædulce falutis
Propinans noftris fidis maioribus olim,
Quale ipfi feclo non guftauêre priore,
Nec iam nunc fimile octingentis nofcere ab annis
Contigit, aut nũquàm Germania forfan habebit.
Vt confummauit ftadium, in Dño q; triumphat,
En labor extremus fuafit finemq; modumq;,
Cum CHRISTO effe cupit, fefe & diffoluier optat,
Martyrio gaudens animam expirare beatam:
Quandoquidem Frifiæ reftare in finibus audit
Permultam meffem, fed deficiente colono,
Partìm delufam miferè, rurfumq; prophano
Implicitam cultu, partìm abiurare paratam.
Proh De⁹, hinc quantũ eft mœrore affect⁹ acerbo?
Solicitis animum curis ac luctibus ægrum
Exercens, magis illa dolet quàm fata, fubire.

Er-

Ergo Moguntinæ licèt vrbis Episcopus esset,
Compositis tamen hîc saluisq; ante omnia rebus,
Lullum Theseo sibi iunctum pectore amicum
(Dum redeat) custodem ouibus præfecit agendis,
Imponens Pastoris onus, sic multa precatur,
Perq; illum, quo se semper dilexit, amorem,
Perq; fidem, per amicitiæ notissima iura
Ritè gregem CHRISTI intereà ad sua pascua ducat,
Absentisq; obeat munus fidissimus, orans
Insupèr & sacrum Fuldana ad flumina Templum
Abs se fundatum, magnisq; authoribus olim
Ditatum, sua defuncti quòd contegat ossa,
Néve aliquo casu labefactatúmve ruina
Concidat, aut minuat collapsum tetra vetustas,
Sustentet reparetq;, rogat: mox deniquè subdit
Verba quidem nimiùm fati præsaga futuri:
Hanc ego si vitam, CHRISTO inuitante, relinquam,
Et mea me eripiēt fata, hac precor Aede sepulcrū
Esse meum facias, extinctaq; membra reponas.
Talia dicentem SANCTVM, fortisq; tenacem
Propositi obstupuit Lullus, nil iamq; retardans,
Triste gemit, multo suffundens lumina rore,
Verba inter lachrymas nequicquā plurima miscēs,
Corde nimìs, tam dulci à fratre, auellitur ægro.
Ecce viæ comites, Rheniq; in littore puppes
Expectant, Lullus Diuis commendat euntem,

Lullus disci pulus S. Bonifacij.

Prosequiturq; pijs votis ac fausta precatur.
Vela igitur pandit, versaq; relabitur aura
SANCTVS, & assertam cælestibus ecce relinquit
Teutoniã charã, quærens loca peruia ad Arctum.
Attigerat Frisiam terna vice, iamq; reformat
Hanc iterum doctrinali mox gratia, & ijsdem
Astruere aggreditur factis verboq; salutem.
Hinc q̊q; te cupiens magno hoc se fasce leuare,
Digne DEI præsul populis Eobane docendis,
Nomine pro cuius Traiecti degere in vrbe
Te statuit curæ sibi fessa ætate leuamen.
Ast exoptatum propiùs cùm tempus adesset
Sanguine in effuso chlamydẽq; stolamq; lauãdi,
Delegit quosdam ad certamina sancta ministros.
Hos Domini zelo ardentes & pectore firmo,
Scirbaldum, Wintrugũ, Walterũq; & Adolphũ,
Gundecharũq; & Adellarum, fortemq; Busonẽ,
Qui mox martyrij pariter meruêre coronam.
Nam postq̃ cœpit sæuire intra oppida vulgus,
Horrida multorum capitum quia belua vulgus,
Nec tam cultus ager, q̊ non spina hispida crescat:
Vidit & vberiùs CHRISTI succrescere turbam,
Quàm quę curari breuia intra mœnia possit.
Christigenas ergò passim quos antè lauacro
Lustrârat, cupiens etiam pro more decenti,
Imposita dextra, verbisq; astringere sanctis,

Iusse-

Iuſſerat ipſe omnes ad campum ruris amœni
Indicto remeare loco ſeu tempore certo.
Caſtra caſasq; igitur ſub dio hincindè locare
Hæc minimè ſegnes opera ad diuina miniſtros,
Ac, iubet, hîc expectari in ſtatione Fideles.
Tempus adeſt, venitq; dies horæq; ſtatutæ.
Expectant longùm, longarum & cauſa morarum
Suſpecta, ancipites tenet inter ſpemq; metumq;.
Ecce autem Patris æterni mirabile numen
Quàm varia immittit? nec cognita, deſtinat, antè?
Heu non hæc ſperata viris euenta malorum,
Heu ſcelus infandum, crimenq; immane, nefasq;,
Cominùs horrẽdum paganorum ingruit agmen,
Arma inter furioſa ſtrepens, diſtrictaq; tela,
Proq; ouibus venêre lupi, pro fratribus hoſtes,
Colluuies furijs ipſis inſanior Orci.
Attoniti exceſsêre caſis, ad prælia ſeſe
Quippe redempturi per mutua vulnera vitam,
Armantes ſocij, nec tantùm tendere contrà
Sufficiunt. inter manet imperterritus omnes
Confidens SANCTVS, vitare inſtantia nolens,
Lætanti ſimilis, Socijs mox talia fatus:
O Socij, O comites, non ſic vos præmia mecum
Cæli fertis, ait? cur non maiora mereri,
Q p[illegible]n vitã hãc miſerã, libet? an modò fata ſubire,
hac vita ſubeunda ſemel, trepidatis, vt olim

S. Bonifacij iãiã martyrio coronãdi, ad ſocios ſuos oratio

Cum CHRISTO hæredes longum viuatis in æuum:
Hæc (si nescitis) via panditur ardua Iustis,
Hanc pater è cælis expectatam obtulit horam
Accipere æternam testantia vulnera vitam.
Non patimur primi, (ne dura euenta putetis)
Quæso animis prisci casus euoluite secli.
Quot liquet ob CHRISTVM iustorū millia passos:
Quin quoq; nos animo firmato audentiùs ergo
Ibimus in casus omnes, per tela, per hostes:
O dignam sancto demissam pectore vocem,
Qua parent omnes, qua protinùs omnibus æquè
Inculcata viris iustæ est patientia mortis.
Glorificant laudantq; Deum, votisq; solutis,
Protinùs heu rapidæ vasto clamore cohortes
Ecce ruunt rabie atq; armis, hincindè parantes
Assultum, sæuo oppressos miserè ense trucidant.
Cæduntur Sancti, grata sed morte superno
S. Bonifaci⁹ cum socijs martyrizat anno 755. Rite Deo sancta hæc animas per vulnera reddūt.
Ipse suam SANCTVS sic per cruciamina lethi
Proiecit vitam, plenum & laudabile tandem
Martyriū præbens pro regno ac nomine CHRISTI.
At Pater omnipotens illorum iussit in alta
Viuorum regione animas requiescere puras,
Ambrosijsq; epulis sperata & vescier aura,
Quos sic cognouit, duroq; in agone probat
Sed neq; in his etiam insanum satiare furorem

Aut

Aut potuit finem facere execranda Tyrannis.
Diripiunt vastantq; innoxia castra, inhiantq;
Prædæ & opum spolijs: turbant, rimātur ab imo:
Haud tamen hîc gequā, nisi scripta volumina cęsi
Martyris eruitur, quorum vnum fertur ad vsum
Assiduò manibus triuisse, ac mortis agone
Pro clypeo obiectâsse simul cædentibus ense.
Qui liber ad nostros hîc nunc quoq; cernit̃ annos
Incisus ferriq; notis insectus, at intùs
Integer, illæsus, nec perdita litera desit.
Vndè hodiè cernas depicta in imagine SANCTI
Transfixum Frisij lictoris codicem ab ense.
Sic porrò insani dira exagitantur Erinny,
Huc illuc penitùs capti iam mente feruntur:
Mox in sese omnes, eadem mittuntq; feruntq;
Vulneribus vel adhuc Sanctorum saucia tela.
At nulla in longum superat violentia tempus,
Christicolis meritas pœnas dant ocyus omnes.
Vt deinceps Frisiæ dispersa est fama per vrbes
Infandi sceleris, furibundorumq; latronum,
Ecce ruens populus Traiecto, tristia luget,
Fataq; deplorat, cæsorum corpora ad vrbem
Transportans, acto & ferali munere, sacra
Condit humo, tumulisq; pios indicit honores.
Ipse autem pariter lachrymas fusurus acerbas,
Nunc demum edendi suspiria plurima ab illo

Sortitus causam, Lullus pia funera deflet
Affectu vehemente pij dulcisq; Patroni:
Sæpè etiam secum memori dum mente reuoluit
Iussorum SANCTI seriem & rogitantia verba,
Promissis properat (quantum licet) addere facta:
Declaratq; suum miseris in rebus amorem.
Ergò agit, & totis innixus viribus vrget
Relliquias SANCTI transferre ad littora Fuldæ.
Pernices vt misit equos celeresq; triremes
Traiectum diuini ad Martyris ossa petendum,
Quæ licèt immensus labor est auferrier illinc,
Sunt tandem optatis rebus votisq; potitæ
Veliferæ naues, sed & intra mœnia latum
Iam neq; tu poteras retinere Moguntia SANCTI
Corpus, vt hinc laudis maior tibi gloria surgat,
Atq; hoc præclaro CHRISTI te Martyre iactes.
At nil proficiunt verba exposcentia iure:
Nunquìd in externa tumuletur Episcopus vrbe?
Nec quem viuentem coluit sua terra patronum,
Contegat, vndè olim numero sese efferat aucto?
Hæc verò contra Lullus feruentior instat:
Ipse suum spondens corpus post fata senile,
Sic animo fixum statuit suprema loquendo,
Martyris & fundatoris sua funera passi
Cœnobio in magno Fuldensi condier ossa.
Hinc ergò instaurat tota & mox apparat vrbe
Funebrem pompam, cantuq; atq; ære canoro

Effertur funus, populi comitante caterua,
Impositumq; rati, Rhenum transmittitur altum. corp' S. Bonifacij Fuldam transfertur.
Indè ad Buchoniæ syluas Fuldæq; fluenta
Delatum, tandem optata tellure potitur,
Ac templi in medio cryptis supponitur imis.
Omnē exindè locum splēdore ac numine cōplens,
Hîc nos perpetuū pia tecta fouebimus ossa,
Gratātes CHRISTO, tumulumq; & frigida saxa
Suauibus ista rosis, violisq; & fronde frequenti,
Thuricremo liquidoq; simul spargemus odore.
At tu regnantum Domine ò Rex vnice regum, Martyrologij hui' peroratio ad Deum opt. max.
Sublimis, præsens, miserans, diuine potensq;,
Qui regis & seruas vastis compagibus orbem,
Cuius vel leuiter facto certissima nutu
Est oritura salus, vel momento omnia ab imo
Funditùs intereunt, maiestatemq; perhorrent,
Quandoquidem est ignota dies mortalibus illa,
Qua quemcunq; atris sua mors circundabit alis,
Venturaq; semel nihil ista certius hora est,
Cum Iudex sumpta transcendes lance tribunal,
Aequo vt discernas modulo quod quisq; meret:
Qui bona fecerunt, Iustos, noxasq; piantes,
Promeritæ vitæ hæredes in regna vocabis:
At molles, scelerumq; reos, cæcosq; & iniquos,
Pœnarū capita hos mox tartara ad infima mittes,
Dum nos saluari, cunctos culpaq; solutos,

A vitijs tibi conuersos ac pectore mundo,
Nec luere infernas, tua stat sententia, pœnas.
Abs te dilectus processit ab æthere Natus,
Stipite quem duro passum sine crimine mortem
Credat, amet, timeat, veneretur & audiat omnis
Natus homo, nec se tantùm miretur in illo,
Quin vitam puram, tua quin mandata capessat:
Te nunc suppliciter nos quęsumus ò Pater & Rex,
Concede omnipotēs, nostrisq; hunc sensibus infer
Per CHRISTVM IESVM, per & almi numina Flatûs,
Feruorem Fidei veræ & pietatis amorem,
Vt, tua ceu quondam voluit diuina voluntas,
Hos frugi seruos insontem ducere vitam,
Tangere & hanc metam, victrices ferre coronas
Sanctorum in numero, cōsortesq; esse polorum:
Nos etiam illorum vestigia sancta sequentes,
Firmiter æternum Verbum credamus, & istam
Ne qua Fidem nostram vitiet mala noxa potentē,
Condignis operum meritis oleiq; lucernis
Instructi, haud segnes cunctas vigilemus in horas,
Impia vitantes falsi præstigia Mundi.
(Odit enim quicquid iustū, sanctumq; bonūq;,
Iudicij extremi præbens obliuia Mundus)
Sic te amplexantes verè, soliq; placentes,
Dulce tuum collaudantes Altissime nomen,
Exuti vitijs digni veniamus Olympo.

DEO LAVS & GLORIA.

Vidi ſub Altari Animas interfectorum propter VERBVM DEI, & clamabant voce magna, dicẽtes: Vſquequò Domine ſanctus & verus, nõ iudicas & vindicas ſanguinẽ noſtrum de ijs qui habitant in terra?

ESAIAE 46.

Viuent mortui tui,(Sancti Eccleſiæ)interfecti mei reſurgent.

PSAL. 115.

Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorũ eius.

ET 71.

Precioſus ſanguis eorum coram ipſo.

SAP. X.

Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas,&c. & dedit illi ſcientiam Sanctorum.

ERVDITI AC GENEROSI ADOLESCENTIS EVERARDI AB HAREN, IN DEſcriptionem S. BONIFACII Wicelianam, CENTO.

Χερσὶν ὑπὸ κρατεραῖς Βρέννον νίκησε Κάμιλλος,
Βρέννον ἀπηνέα Κελτάων ἀγὸν αἰχμητάων,
ἐκπέρσαι τ' εὐκτιμένην πόλιν ἑπτακολώνην,
βουλόμενόν τ' ἀπάγειν γλυκερῆς ἀπὸ πατρίδος αἴης
Ῥωμαίων ἀλόχους τε φίλας καὶ νήπια τέκνα,
Ἀλλὰ Κάμιλλος ἀπέξρατ' ἀνάλκιδα φύζαν ἐνόρσας.
Τῷ μὲν ὑπουρανίη τιμὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ,
Ἠδ' ἔτι τεθνηκὼς θεὸς ὥς ὅγε τίετο δήμῳ.
Γερμανοὺς δ' Εὔεργος ἐρύσατο καὶ ἐσάωσε
Δουλωθέντας ὑπὸ ζαβόλου, θεράποντας Ἰησοῦ
Ποιήσας Χριστοῦ μεγάλοιο καὶ εἰνὸς ἄνακτος.
Ὥς ψυχὴν παραβαλλόμενος καλὰ πολλὰ ἰοργώς
Κάτθανε γενναῖασ ἴσησ δ' οὐκ ἔμμορε τιμῆσ.
Ἀχνύμενοσ δέ γε πουλυδαίμονοσ ἀγλαὸσ υἱός
Βικελίου γενεήν τε τελευτήν τ' ἔργα τε καλὰ
Θείου Εὐέργου λιγυροῖς ὑμνεῖ μελέεσιν.

